

# TITULUS I.

## *Antiquus Urbis Viennensis Status.*

**V**ienna, de qua nobis fermo est, inter reliquas decorum prerogativas non in minimis numerat, quod ab inmemorabili prorsus tempore sua deducat Exordia, & tot inter rerum vicissitudines, bellorum tumultus, hostium direptiones semper victrix evaserit, & cujusdam in morem Antæi toties prostrata semper fortior, totque post funera velut alter Phœnix gloriosior sit renata; Celebrantur undique Thebæ, & Athenæ, ac propter vetustatem suam honorantur è pulpitis, prædicantur è rostris, publicis in Lycæis dilaudantur, quarum tamen nec disjecta reperiuntur rudera, sed teste Ovidio: *Quid Pandionia restant mihi nomen Athenæ vacua, & inania nomina circumferuntur: ubi tamen à tot sæculis Vienna adhuc integra permanfit, & gloriosissimam, qualem oculis coram cernimus in Civitatem excrevit: si itaque ob solam vetustatem suam jactantur civitates aliæ, eò quod ut cum Cicerone loquar, antiquitas proximè ad Deos immortales accedat, non parva Civitati nostræ accrescet gloria, quòd Urbes quasque nobilissimas ætate suâ non contingat solùm, sed supercendat. Et verò licet hac in re nil certi statuendum putem, cum ipsi inter se, quorum de hoc discernere intererat Authores dissentiant, unanimi tamen cum illis sensu pronuntio, Antiquissima Viennensis Urbis esse primordia. Testantur hoc vetusta prorsus monumenta nostro adhuc sæculo Viennæ reperta, ac ad Lazii in annotationibus lib. I. Chron. Vien. cap. I. adducta, in quibus anni à mundo condito 2550. 3899. 4016. &c. Cum diversis Urbis nominibus Hebraicis litteris, quæ tamen nomina in allatis litteris non reperi, legebantur insculpti, quæ tempora si cum temporibus combinentur, Viennam centesimo octavo circiter anno post Egressum Filiorum Israël ex Ægypto jam floruisse compertum habebimus. Bina autem à Lazio in præfatis annotationibus adducuntur monumenta ipsa in Urbe Viennæ reperta, ex quibus unum solùm adferre placuit curioso antiquitatis Lectori.*

Schalem Bar Baruch Venikbar Caph Beth Tebeth

Meberiah Olam Daleth Aleph Jod Vau.

Quod Monumentum Latine sic legitur: Salem Filius Rabbi Baruchi sepultus est vigesi-


mo secundo Decembris, à creatione mundi quater millesimo decimo sexto. Testantur etiam antiquitatem ejusdem Scriptores alii gravissimi, quibus accedit Æneas Sylvius, & Sabellius, qui ex Plinio & Ptolomæo ostendunt, Viennam prius Flavianam, Flavium, Vianam, Galbianam, & Juliobonam dictam, quæ prima nomina Urbi à Tito Appio Flaviano Prætoris Cohortis sub Imperatoribus Galba & Vitello imposita fuisse ex Cornelio Tacito deducunt, quod ex subjecta inscriptione, quæ Flavianæ Cohortis sub decima Legione his verbis meminit (L. Valerio prisco Viennensi Præf. I. I. Con. Coh. Duar. Tertiar. Thra. & secundæ Aquitanor. subintellige) Præf. Trib. leg. X. Fretens. Præf. Alæ Flavianæ Præf. Fabro loc. sepulturæ D. D. publicè datus, non sine probabilitate colligitur. Quæ inscriptio Lazio teste sic legenda est: Lucio Valerio Prisco Viennensi Præfeto bis Consuli Cohortium duarum tertiar. Thracum, & secundæ Aquitanorum Præfeto, Tribuno Legionis decimæ Fretensis, Præfeto Alæ Flavianæ, Præfeto Fabrorum, locus sepulturæ Decreto Decurionum publicè datus.

Quod si hæc fortasse alicui minus verosimilia viderentur, certius est Viennam prius Vendum, vel Vendobonnam, uti Aurelius Victor in vita Antonini Imperatoris Author est, aut Vindobonnam teste Beato Rhenano, & Strabone fuisse à Romanis, qui eam condiderunt appellatam, quæ omnia magis confirmant monumenta alia annis abhinc non multis prope Viennam reperta, quæ Civitati Vindonnæ nomen imponunt, & insuper decimæ Germanæ Legionis Fabianæ cohortis meminerunt, quæ fufus in Lazio L. I. Chron. Vien. C. 3. & l. 2. Specul. Hon. Dom. Austr. C. I. invenies. Unde etiam civitati postmodum à Fabiano, ejusque cohorte nomen Fabiana datum, quod denudà Majoribus nostris corruptum, Bianna, & tandem Bienna, ut cum Lazio C. 4. loquar, pronuntiatum fuit: quorum fidem faciunt in Codice quodam vetusto, & ante ducentos circiter, uti ex Charactere colligitur manu scripto, hæc verba: *Vienna tempore S. Severini* (erat hic Austriae Apostolus) *vocabatur Fabiana.* Quibus à verbis non leve fundamentum deducitur, Viennam jam tunc floruisse, & orbi ob Romanorum potentiam fuisse formidandam, ac plurimas ci-

vitates quantumvis florentissimas nobili vetustate anteire.

Ne tamen in una vetustate Urbis gloriemur, cum rebus etiam exiguis diuturnis esse quandoque liceat, Urbs hæc jam à prima ætate sua, quod adhuc nostris est temporibus, Romanorum Imperatorum sedes præ aliis fuit delecta, ac Imperatores sui Incolas Julium, Octavianum, Augustum, Tiberium, Claudium, Drusum, Cajum Cæsarem, Galbam, Vespasianum, Nervam, Trajanum, Marcum Aurelium, Pertinacem, Septimium Severum, aliósque plures numeravit, qui tempore sat longo opportunitate belli cum finitimis populis hac in Urbe subditis jura dictabant, & imperia moderabantur, quæ certa jam erant futuræ gloriæ, quæ Vienna olim triumphatura est, præfagia, & monumenta. Vide de his Specul. Hon. Dom. Austr. l. 2. c. 1. & Lazii l. 2. c. 1. Et licet sæpius Martis insani impetu fuerit prostrata, nunquam tamen evelli ita potuit, ut non in caput, & Principem Urbium, qualem nunc miramur, excresceret, ad eum planè modum, quo quandoque suo sub cinere latitans favilla ad tempus delitescit, quæ nihilofecius leni excitata flamine in tantum erumpit incendium, quod summis etiam, ac angustis palatiis supremum exitium minitatur. Ne verò in immensum oratio decurrat, non hîc, quod Cornelius Tacitus de amore German. fufius differit, nobis mens est describere turbines, & prælia, quæ gentes variæ adversus Germanam fortitudinem suo sæpius damno attentârunt, neque primas Urbis hujus vicinorumque locorum direptiones depingere, quibus succumbere quandoque invictam alioquin Urbis nostræ potentiam erat necesse: quid enim tam forte unquam fuit, aut esse poterit, quod non eventu aliquo si non omnind, ad tempus tamen fuit suppressum. Non primam mundi faciem diluvio universali deletam, non Monarchias quasque potentissimas ab aliis devictas in exemplum adferam, quotidiana experientia creatas res omnes perpetuò non esse sibi constantes, abundè super declarat. Illud certò prodigii, & summæ gloriæ loco ducendum esse existimo, Viennam, licet ad tempus obscuratam, nunquam tamen fuisse deletam, ut non copiosiore lumine orbi fulgeret, & posteritati. Licet enim communi reliquis excidio Bellonæ incendium etiam hanc Urbem nostram involverit, & splendorem illius quingentis an-

nis, (tánto enim tempore deserta permanfit) oculis posterorum eripuerit, aurum tamen imitabatur, quod purius ex igne, quam intrârat, egrederetur: Nam cum hac de causa Marchiones Austriæ (nondum enim Archiduces nominabantur, sed tempore Friderici II. uti Cuspiannus, Münsterus, & Lazius autumant, Austria Archiducatus dicta est) Melicii, qui locustum temporis Austriæ Metropolis erat, residerent, Leopoldus Pius, Sanctorum postea Catalogo adscriptus, devictis Hungaris, & ex Austriæ finibus ejectis secundo Danubio descendens, Aulam sibi ad apicem montis Cefii extruxit: nondum Vienna suis à ruderibus erat effossa, sylvestres arborum tapetes adhuc locum incultum retinebant, & unicum solum arbusta inter Venatorum erat receptaculum, quod vicinæ illi nomen vulgò *Pürckhoff* (cujus in memoriam Leopoldus I. Aug. Rom. Imp. anno 1670. supra tectum aulæ suæ cervum, & Venatorem ex Lamina cuprea poni curavit) imponebat: cum successu temporis evelli arbores, & similia plura tuguria ædificari cœpta, donec ex aulæ primoribus quidam Majores condere domos, & Henricus II. Leopoldi Sancti Filii decimo quarto regiminis sui anno Viennam incolere, & in Urbem formari mandaret: restat adhuc hodie ipsa in Urbe truncus quidam arboreus ferro circumdatus ad domum quandam, quam vocabulo communi *beym Stock in Eysen* nominant, qui in memoriam manet relictus. Desinebatur verò Urbs ipsa angustiori longè termino, ac modo miramur, neque ædificiis tam copiosis, neque districtu tam amplo extendebatur, siquidem Monasterium ad Scotenses dictum, plateæ Dominorum, Carinthiaca, Pistorum, Forum altum, Aula, *Wolzeil/Graben* Gradus B. V. & quidquid vicinia illa includit, nullo adhuc Civitatis muro comprehendebantur: donec eam Leopoldus VI. cognomine Virtuosus, splendidis ornari ædificiis, Mœniis cingi, & propugnaculis muniri, ac ita fecit ornari, ut jam iterum adversus fidei, aliósque hostes firmissimum præsidium, Mercimoniorum diversorum Emporium, florentissimarum sex Nationum Germanæ videlicet, Hungaræ, Italæ, Bohemicæ, Polonicæ, & Sclavonicæ commune hospitium, & Imperii tandem Romani, ac ipsius mundi effecta sit gemma, & ornamentum.



## TITULUS II.

### *Moderna Urbis facies, situs, & munimenta.*

Quamvis plurima sint, eaque non exigua, quæ Urbem nostram amabilem civibus, mirandam exteris, jucundam amicis, formidandam hostibus, orbi denique universo celebrem reddere possint, non tamen

ultimo censendum loco autumo, quæ ab aliis inter prima numerantur, situm amœnum, & munimenta; quemadmodum enim ex cortice nucleum, ex foliis arborem, ex floribus fructum, ex indice bene ordinatum horologium, sic